

providi et sapientes commissa utiliter et laudabiliter peregerent. Subjungens quod cum eorum consilio promissio correctæ et approbata est in maiori et generali consilio prout de hiis et aliis ordinatis pro electione ducis per cancellarium publice erit lectum. Tunc autem accedit cancellarius et legit populo emendationes et correctiones dicens quod alia capitula et ordinamenta in sua firmitate debent permanere et quod Gastaldio sit syndicus ad iurandum in animabus omnium ut supra. Ultimo dicat Cancellarius alta voce: placeant vobis ea que lecta et ordinata sunt? Et omnes clamant sit sit. Et Gastaldio qui inferius manet apud pergolum cum preconibus iurat in animabus omnium ut supra et est ibi notarius curie qui recepit iuramentum ab eo).

Quibus peractis revertuntur consiliarij et capita ad palatium, et confestim vocant majus consilium in quo servatur hic ordo. Quum mittitur pro uno puerulo annorum VI vel VIII vel circa pro quo vadunt unus scilicet minor consiliarius et unum caput scilicet minus. Qui vadunt primo ad altare beati Marci ubi divina gratia implorata pergunt versus portam maiorem ecclesie perquirentes de aliquo puero casualiter qui videatur bone indolis et aspectus eumque ad consilium secum ducunt. Finita autem campana consilij numerantur homines consilij et ponuntur in uno capello tot ballote quot erunt homines consilij inter quas sunt XXX ballote deaurate signate aliquo signo. Alie sunt albe de ramo et vocantur banchi more solito et quilibet venit ad locum capelli ubi manent consiliarij et deputatus est unus consiliarius et unum caput per texeras qui recipiant ballotas de manibus pueri qui accipit de capello quem unus notariorum tenet in manibus. Et qui de consiliariis et capitibus recipiunt in una electione non recipiunt in alia. Puer autem manens in banchio prope consiliarios ponit in capello manum pro quolibet de consilio veniente. Et si habet deauratam ille pro quo accepit eam intrat cameram. Aliis habentibus albas recedentibus. Illi vero qui exeunt pro parentella vadunt ad notarium qui stat in cathedra et dicunt accipe unam pro me. Et postquam XXX sunt in camera recedentibus omnibus, remanent consiliarij et capita et faciunt poni in uno capello XXX ballotas inter quas sunt IX deaurate et signate. Et vocantur ipsi XXX de camera qui ad unum ad unum exeunt proiecta texera quis incipere debeat vel ab uno capite vel ab altero bancorum camere. Et puer accipit ballotam pro quolibet et haben-